Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tantum miraculum admirans valde cucurrit, et nunciavit hec parentibus suis. Post hec venerunt simul parentes eius cum eadem a puero narrantes que acta sunt Nycolao episcopo. Que ille audiens benedixit eum in domino eterne salutis. Puer vero autem rogans supplicavit avunculo suo dicens: En alme pater ora pro tuo filiolo qui quasi novella arbusta cito infructuosum prorumpit, quatenus tuis orationibus sim tutus, meque dignum servum suum constituat dominus Ihesus Christus celesti benedictione. Cumque talia audisset episcopus, lacrimabiliter oravit dicens: Domine deus omnipotens qui es incomprehensibilis, qui tuum plasma vocatione sancta eligere dignatus es, concede huic puero Nycolao vitam honestam, conversationem studiosam, operationem placabilem, quatenus dignus efficiatur societati sanctorum, prestante qui est benedictus in secula seculorum. Amen. *Visio Sabatii de Sancto Nycolao, et de electione ipsius in episcopum.*

His ita expletis cum esset quidam servus dei nomine Sabbatius in quodam castello vir magne sanctitatis magneque virtutis, plura eidem episcopo narrabat de sancto Nycolao puero, et clare per visionem de ipso utique cernebant. Nam cum separato visus esset episcopo Nycolao, angelus domini prosequens dicens: Sequere me. Postea autem duxit eum ad orientalem plagam in summum vertice montis, ubi fabrica magni decoris erat sancta videlicet Syon ortusque deliciarum, a primordio per summum opificem constitutus. Illic diversa edificia ac prata recentia et omni odore iocunda videbantur, tantum ut nullus sermonibus explicari possint. Inter que ostensum est ei ingens decoratumque edificium virgeum omnibus monilibus undique circumdatum, eique divinitus dictum est: Hec est edes et perpetua mansio quam dominus famulo suo Nycolao preparare dignatus est. Deinde in civitate licee myrensis imminentibus peccatis carnalis perierat pastor. Unde eum salvari debuerat populus, inde ad tartara deducebatur. Dei igitur nutu ipse episcopus de hac luce migravit. Tunc omnes clerici in unum sunt collecti, atque laici sunt flentes et diu deprecantes, ut deus omnipotens sua pietate ac misericordia talem dignaretur eis dare pastorem ad salutem animarum, unde salvari potuissent. Universis itaque ieiunantibus et in oratione permanentibus, duo quidam ex ipsis per somnium equa in visione angelica commoniti sunt voce. Scitote inquit quia dominus preces vestras exaudire dignatus est, ut talem pastorem eligat et sua pietate vobis concedat, ut omnis populus isti civitatis suis precibus salvetur. Et hoc erit vobis signum. Estote parati ad hostium ecclesie matutinis horis, et eum qui primus occurrerit vestris manibus tenete, et coram omnibus presentate, ipsumque veracem esse credite, quem dominus presentia sua rectorem sue ecclesie dignatus est eligere. Excitati quoque pariter a somno nullam tamen dubitationem habuerunt, sed certi atque corroborati ad hostium ecclesie simul perrexerunt. Christo pie et gloria, eundem sanctum virum Nycolaum sicut qui ante omnes precesserat ad fores ecclesie iam invenerunt. Tunc illi appropinquantes leniter eum interrogare studuerunt: Quis es tu? Ille vero ut erat voce columbina: Peccator inquit Nycolaus vocor. At illi leti effecti pariterque glorificantes deum dixerunt: Deo gratias, quia quod querebamus invenimus. Eumque per manum trahentes venerabiliter ante altare duxerunt, et omnibus ostenderunt eum dicentes: Ecce fratres quem vobis omnipotens deus sua revelatione ostendere dignatus est, ut hunc eligamus nostrum pastorem et rectorem. Hisque dictis non multo post sed ilico divina vox celitus facta est dicens: Iste ipse est. Hec autem omnes qui ibi aderant audientes pariter glorificantes et laudantes deum in omnibus que eis acciderant, eum intronizare ardentissime unanimiter et consecrare sine omni mora studuerunt. Mira res. Denique cum consecrarent et angelico ore missam decantaret, merito eidem sancto viro in ipsa sua consecratione miracula et signa plurima pius dominus ostendere dignatus est. *Qualiter vixit in episcopatu sanctus Nycolaus.*

Cathedra igitur myrensis Nycolaus sanctissimus episcopus sublimatus eandem morum gravitatem eandemque sectabatur humilitatem, cottidie in oratione pervigilabat, corpus attenuabat ieiuniis. Mulierum consortium quasi quandam pestem ab ipso puericie sue tempore fugiebat. In suscipiendis hominibus humilitatem exhibebat claritatem, in loquendo efficacem se prebebat, alacer erat in exhortando, severus in corripiendo. Viduarum et orphanorum atque oppressorum sic negocia procurabat, ac si ipsa essent. Rapinas execrabatur potentum, arguebat violentos atque adulteros, consolabatur et reficiebat dolentes et male habentes. Crescebat cottidie fama bonitatis eius quia ubique laudem ferebant Nycolai, hinc potens hinc impotens illum nominavit. Gaudebat populus cunctus de tali patrono, letabantur reges et principes de tali pontifice, qui talem se auctoritate et gratia plenum exhibebat, ut omnium regeret curam et episcopi dignitatem non amitteret. Verum tempus deficiet, quin et me sermo deseret, si de singulis eius meritis scribere temptavero. Cum nil sit beatus Nycolaus de karismate virtutum, sed dei gratie totum